



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE FIDELES ECCLESIALIS SANCTUS CASIMIRUS PATRONUS
PRINCIPALIS

APUD DEUM DIOECESIS RADOMENSIS CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Fideles ecclesialis
communitatis Radomensis, a Nobis die XXV mensis Martii anno MCMXCII per Litteras Apostolicas «Totus Tuus Poloniae
populus» constitutae, sanctum Casimirum clara veneratione prosequuntur, atque Eodem impetrante caelestium
gratiarum copiam sibi exposcunt. Ipsorum praesertim animarum utilitate permotus, Venerabilis Frater Eduardus Materski,
Episcopus Radomensis, communia cleri populique vota excipiens, electionem sancti Casimiri in Patronum principalem
apud Deum dioecesis suae rite peregit, deindeque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos
vero enixis huius Venerabilis Fratris precibus libentissimo animo obsecundantes, comprobatis iis, quae Congregatio de
Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, facultatibus a Nobis factis, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum
Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctum Casimirum Patronum principalem apud Deum dioecesis
Radomensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de Patronis constituendis
indicantur (AAS, vol. LXV, 1973, 276-279). Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos
effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud
Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Octobris, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto
decimo.* IOANNES PAULUS PP. II © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana